

aqua vnum efficiunt globum, vt paulo post ostendemus; Afferit duas causas, cur aqua tota terrā non ambiat, quarū prima efficiens est & naturalis, nempe siccitas terrę, quę cōtinue, inquit, in humidū aqueū agēs aquam diminuit, aut saltē resistit, ne totā terrā operiat orbēq; perficiat. Verum hęc causa valde inefficax existit; Quomodo enim tanta esse potest terrę siccitas, vt tanto elemento aquę valeat resistere, presertim potentiōri, & superiori se suapte natura? Immo & cum experientia pugnat, siccitatem a se humorem propellere, cum potius illum corripiat, & attrahat, vt cernimus in cineribus, & alijs huiusmodi rebus siccis. Secunda causa finalis est, & supernaturalis, Diuina scilicet prouidentia. Deus enim, vt in Genesi legitur, aquas a terra segregauit ad quorundam animalium vitam tuendam. Antequā. n. Deus Opt. Max. dixisset, Congregentur aquę in locum vnum, circundabat aqua, secundum Theologos, totam terram; Iussu autem Dei recessit aqua, & apparuit arida. Quo autem modo id factum sit, varię extant sententię. Quidam enim dicunt, Terram in suo quidem loco permansisse, Aquam vero supra terram esse eleuatam, ita vt si deflueret, totam iterum terram cooperiret: Cur vero non defluat, terramq; operiat, non conuenit inter eos. Multi enim existimant, miraculo, & potentia Dei fieri, ne aqua defluens orbē terrarū cooperiat, In qua sententia videtur et esse B. Hier. motus auctoritate scripturę. Dicū. n. Prouerb. 8. & psal. 103. Deū aquis terminū posuisse, quem non transiret. Alij vero nolētes concedere hoc continuum miraculum, dicunt circa polum arcticum esse stellas quasdā, nimirū in Vrsa, Dracone, &c. tante efficacię, & uirtutis in hęc inferiora, vt ab hac parte terrę habitabili Oceanum propellant, & coercent, ne iterum terram obruat. Et hi auctores putant, totam hanc terram versus polum arcticum esse aquis detectam, reliquā vero partem terrę totā esse mari oppletam; quod hodiernę nauigantium experientię repugnat, vt postea dicemus: Alij arbitrantes multo maiorem esse quantitatem aquę quam terrę, dicunt, Aquam ob ingentem sui molem propellere grauitate sua terram extra locum suum naturalē, ipsam vero occupare centrum mundi, adeo vt Terra in mari quasi natāre videatur. Alij deniq; adhuc concedentes aquam multo esse maiorem ipsa terra, immo decuplo maiorem, asserunt totam terrā esse repleti spongiā quandam, cuius rei signum esse potest, quod statim reperiatur aqua in omni loco, vbi terra fodiatur, esseq; multis cauernis,